



Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Effectibus - qui primi, ac per sese ex notitia Dei consequuntur: De Æstimatione nimirum, in qua habendum, deque ardore, quo amandum est illud incomparabile objectum

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Cap. XXXIV. Diluuntur nonnulla argumenta adversus omnigenam materiæ amplitudinem, in qua diximus nostræ voluntatis cum divina consensionem versari oportere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54508](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54508)

rando ad exemplar rectissimorum illorum spirituum pravè operemur. Imò evidenter indè apparet, si plena omnium, quæ DEUS vult, approbatio, & voluntas singularis perfectio, nec aliud quàm perfectio in illis censetur, talem esse & in nobis censendam. Cùm nulla occurrat ratio diversa, vi cuius haberi hìc pro vitio possit, quod ibi assignatur virtuti.

CAPUT XXXIV.

Diluuntur nonnulla argumenta adversùs omnigenam materiæ amplitudinem, in qua diximus nostræ voluntatis cum divina consensionem versari oportere.



Rdiamur ab eorum oppositione, quibus prædicta amplitudo displicet, eò quòd intrà suum orbem proximorum quoque ærumnas, & calamitates contineat. Circa quas se omnimodis conformare ad voluntatem divinam, perinde esse, ipsi dicunt, ac misericordiæ virtutem funditus è vita hominum tollere. Cùm enim proprium hujus sit, tristia

stem esse cum tristibus, & flere cum flentibus; conformatio ad voluntatem divinam, si in hujusmodi casibus exercenda esset; juberet nos, contraria prorsus ratione aliorum lacrymas læto vultu intueri, tótque inter passim obvia humanarum cladum exempla, non alias emittere, nisi plausûs, & gratulationis voces: Amen, bene est, fiat, sit nomen Domini benedictum. Sed nihil negotii est, talia objicientes refellere: tum quia, etsi per latissimam illam nostræ voluntatis cum divina ubique consensionem, haud posset misericordia in-natos sibi affectus exercere in externis proximorum malis, quæ DEUS vult, atque immit-tit; at posset nihilominus eos exercere, quan-tum ad interiora vitiorum mala, quæ amari, & decerni à DEO nequeunt: tum quia, cum prædicta virtus non tam consistat in sensibili ægritudine animi de aliorum ærumnis, quam in efficaci voluntate, has pro viribus depel-lendi, aut levandi; quemadmodum omni-moda cum DEI voluntate consensio nihil no-bis impediendi affert, quò minùs proximos consolari, & juvare in quibuscunque illorum ærumnis conemur; sic nequaquam ei verè objici potest, quòd misericordiæ actus cir-ca exteriores, à DEO volitas, proximorum æ-
rumnas

rumnas impediatur. Præterea vel ii, qui tristi quopiam casu affliguntur, calamitatem suam cum plena divinæ voluntatis approbatione læti, & gratias agentes excipiunt; vel quòd minus, quàm par esset, DEUM ament, iniquo, & reluctanti animo ferunt. Si primum, non jam commiserationi, sed potius gratulationi locus est: neque, cum eos videamus de sua sorte lætari, charitas potest nos impellere *ad flendum cum flentibus, sed ad gaudendum potius cum gaudentibus.* Atque ità, si contingat Martyrem intueri, qui dirissimè excruciat, nedum nullo gemitu fateatur se pati, sed hilari etiam voce, atque vultu, tanquam supra omnem doloris vim animo eminens, Deum laudet, insultet tortoribus, & in suis plaudat suppliciis; nemo est circumstantium, qui misericordia potius, quàm admiratione, & invidia afficiatur tam invictæ, hilarisque patientiæ; sin autem duri aliquid sustinentes, pro eo ut ferant id cum gaudio, tanquam à DEO sibi missum, ex defectu justis erga ipsum amoris, suæ sorti irascantur; commiserandi certè sunt, non tam ratione exterioris infortunii, quo ad majus suum bonum ab amica DEI providentia exercentur; quàm interioris morbi sui causâ, imbecillis nempe a-

P p p

ni-

nimi, inordinatæque, & parum Christianæ tristitiæ, qua illud patiuntur. Idque adeo etiam humanæ rationi consentaneum est, ut neque à Seneca ignoratum fuerit: qui propterea amicum objurgans de nimio in rebus adversis mœrore: *Tamen, ait, tu indignaris, & quereris: & non intelligis, nihil esse in istis mali, nisi hoc unum, quod indigneris, & quereris.* (Ep. 96.) Atque hic procul dubio sensus est, quo superi è cælo intuentur sua ægre infortunia ferentem, imò quo DEUS ipse illum spectat: volens nempe, & approbans sortem, quæ ab eo sustinetur, simulque nimis mollem in ea ferenda illius animum improbens. Quapropter cuilibet istiusmodi hominum possumus cum Chrysostomo dicere: (*Serm. 2. in Ep. ad Phil.*) *Dignus es lacrymis, non ideo, quod eges, sed quod te ipsum pro misero habes. Deploramus enim eos, qui cum nihil mali habeant, moleste sortem suam ferunt, non quod malè habeant, sed quod, cum non habeant, malè habere se putant. Ità & ipse dignus es lacrymis ob hoc, quod miserum te ipsum existimas, non ideo, quod pauper es. Paupertatis enim gratiâ etiam beatissimus es. Respondeo postremùm cum D. Thoma, (De Vol. DEI a. 8. ad 4. & 1. 2. qu. 19. a. 10. ad 2.) in temporariis proximorum calamitatibus con-*

considerari duo posse: nativam hinc nempe illarum vim afflicti, & lædendi, quæ secundum se unam DEO causa non est, ut eas amet, velitque; indè verò bona ex iis profluentia, quorum tantummodo gratiâ à DEO, tanquam ab amante medico decernuntur. Quemadmodum igitur divina voluntas præsentis vitæ calamitates nequaquam, prout molestæ, sed prout merè utiles sunt, evenire hominibus jubet; ità se quilibet perfectè conformare ad eam potest, si talia proximorum mala secundum posteriorem rationem velit, & grata habeat, quamvis eadem secundum primam ægro animo ferat.

2. Non absimilis, nec diverso in genere aliorum oppositio est, qui perpendentes, quàm sollicitè connixi omnes sancti viri fuerint, ut proximos à morbis, à paupertate, & à quovis alio mali genere vindicarent, neque existimantes fieri posse, ut qui adversos quoque eventus non aliter intuetur, quàm uti à DEO volitos, & proinde ut amabiles, cumque gaudio amplectendos, eos simul omni studio propulsare, & amoliri conetur; pro certo indè colligunt, nostram cum divina voluntate consensionem, si sinistros proximorum casus promateria haberet, perfectæ erga proximos

charitati repugnantem futuram : adeò ut am-
bæ obtineri ab eodem nequeant ; quantum-
que uni adderetur , tantum alteri perfectio-
nis dedeceret. Et certè admittenda hæc eo-
rum conclusio esset , si verum foret id , un-
de eruitur ; nimirum haud posse , qui adver-
sos quosque casus quatenus à D E O volitos
amet , sua studia , & suas vires ad eosdem ex
humanis rebus tollendos impendere. Imò
ex propositionis hujus veritate sequeretur ,
omnimodam nostræ voluntatis cum divina
consensionem non soli erga proximos chari-
tati , sed necessariæ insuper tum principum
erga sibi subjectos , tum parentum erga filios ,
tum cujuslibet erga se ipsum providentiæ ob-
stituram. Nego itaque , hæc duo inter se re-
pugnare : ut scilicet quispiam ex amore vo-
luntatis divinæ gaudeat de omnibus , quæ DE-
US vult in mundo evenire ; & tamen optet
simul , contendatque , quantum potest , depel-
lere , quæ vel sibi , vel reliquis mortalibus
mala per divinam voluntatem evenerint. Et
ratio negandæ hujus repugnantiae est : quia
studium conformandæ voluntatis nostræ ad
divinam non alibi locum habet , quam circa
effectus , quos à D E O volitos , decretosque
esse novimus : nec de aliis id nobis constat ,
ni-

nisi de iis, qui prohiberi nostris viribus nequeunt. Cùm itaque malum quodpiam impendet, ceu nondum mihi tunc liquet, decretum absolutè à DEO esse, ut re ipsa contingat, sic possum salvo amore voluntatis divinæ optare, & conari, nè eveniat. Quòd si post omnes impediendi illius causâ à me adhibitos conatus illud tamen evenerit; uti tunc evidenter perspicio, in omni æternitate illud absolutè à DEO volitum, & sancitum fuisse; ità debeo ipse quoque meam voluntatem divinæ accommodans omnino illud velle, deque illius eventu gaudere. Sed, quia non omnia, quæ DEUS vult contingere, vult etiam permanere; cùm post illius mali eventum me lateat, utrùm DEUS per mansionem ejusdem voluerit; fas mihi est, celerem illius exitum desiderare, & quibus possum modis urgere: cum indifferentia tamen, & præparatione animi ad acquiescendum in DEI voluntate, si fors adverterem, ei placere, ut id perseveret; hoc est, si omnes à me adhibitas artes nihil viderem valuisse ad illud è medio tollendum. Et quoniam inter artes ad malorum depulsionem idoneas, una, & quidem honestissima est oratio; licèt mihi finè ullo perfectæ conformationis ad volun-

tatem DEI detrimento ipsum orare, ut à malo, quod in præsens ferre me vult, liberare me in posterum velit, animo tamen, ceu paulò antè dictum est, in utramvis partem composito, & simul profitendo, hac tantùm de causa me id petere, quòd ignorem, an ipse contrarium absolutè decreverit. Nam si ità se res habeat, me precibus jam nuncupatis alias subrogare omnino diversas, totòque animo illum obsecrare, nè quod ab eo petis, sed quod sibi gratius est, faciat. *Non, sicut ego volo, sed sicut tu.* D. Remigius, de quo suprà mentionem feci, auditò, injectum esse ignem suis frugibus, accurrit quàm celerimè ad eum restringendum; sed cùm videret, ulteriùs progressam esse illius vim, quàm ut ulla cohiberi humana ope jam posset; æquo, & libenti animo eam jacturam de manu Domini accepit: aliquamdiu subsistens, depellendi saltèm frigoris causâ, juxta illud tamnoxium incendium, non minori cum tranquillitate animi, quàm si se calefaceret ad caminum domesticum.

3. Tertiò, à multis objicitur, tranquillum, & hilarem, quam nos commendavimus, decretarum à DEO rerum acceptionem saltèm locum non habere, nec usurpari laudabi-

biliter posse in publicis populorum calamitatibus, putà annonæ caritate, pestilentia, terræ motibus, bellis. Cùm immanitas videatur, niniùm quàm barbara, & potius Timoni cuiquam Misanthropo, quàm DEI seruo conveniens, hujus generis clades, etiam ut à DEO missas, velle, & probare. Sed enim verò in hac oppositione, quamvis secundum speciem magis invidiosa, atque tragica, nihil ego novæ difficultatis, & cui nova reprehensione occurrendum sit, video. Si enim foret impium mala publica, etiam pro ut à DEO volita amare; impium itidem foret, vel erga privata sic affici: neque alio hic & ille amor distingueretur, nisi majoris duntaxat, & minoris impietatis discrimine. Cæterum vel prædictæ totius populi, & plurimum sæpe populorū calamitates solis eas subeuntium corporibus nocent, ceu pestilentia, & frugum inopia; nec apparet, cur circa eas non eodem affici debeamus sensu, quo circa peculiare unius hominis, vel paucorum ærumnas: gaudendo videlicet, quòd sanctissima DEI voluntas ibi impleatur; & dolendo, quòd non omnes eam ament, neque ab æterna sua clade interiores illos fructus percipiant, quorum gratiâ subire hanc ab ipsis

DEUS voluit. Vel earum quædam conjunctam secum habent animarum etiam perniciem, ut bella, in quibus maxima scelerum vis patrari consuevit; & in his cum approbatione noxiorum corpori effectuum, qui ex divina voluntate proveniunt, copulandam esse ajo displicentiam spiritualium malorum, quæ divinæ voluntati adversantur; similiter ac beati Cælitæ faciunt, qui non aliam suorum affectuum normam habentes, quàm DEI voluntatem, quemadmodum ei vident placere, ut prædictæ calamitates eveniant, sed simul displicere, quòd per earum occasionem à multis peccetur. Ità ipsi quoque & de primo effectū gaudent, & iniquo alterum animo ferunt. Consulatur Alphonsus Rodericius in suo de hac materia tractatu, ubi disertè asserit, satis quidem DEO esse, si publicas id genus ærumnas absque contradictione, & lamentis feramus: sed plus tamen ei placitum, qui easdem non solum patienter sustineat, verum etiam diligat, prout decretæ ab eo sunt, & majori ipsius gloriæ subserviunt. Neque enim fieri posse, quin laudabile admodum sit, velle, quod vult, & quæ de causa vult DEUS. Ità egregius ille sanctioris vitæ magister in tractatu prædicto, su-

suam hanc sententiam confirmans: (c. 22. & 23.) tum gravium Theologorum suffragiis, tum exemplo D. Lupi Trecensis Episcopi, qui, cum Attila Hunnorum Rex Trecis è propinquo immineret, progressus ille obviam cum pontificali ornatu. Quisnam cedo tu es, ait, qui terrarum orbem tot stragibus, atque excidiis funestas? Illòque respondente, se Attilam flagellum DEI esse. Si ità est, subjecit, ultro & volentes te excipimus: neque enim nos decet, cælestis Domini flagro tergum subducere, & cum dicto recludi urbis portas jussit: quæ tamen nihil noxæ passa est, DEO illius visum Barbarorum oculis penitè intercipiente: adeò ut per illam, non secus ac per nudum, & patens æquor sinè ullo hostili insultu transierint.

4. Quartò, impossibile factu, & perceptu aliis videtur, ut quisquam ex divini amoris instinctu suas velit, & amet spirituales misérias, illa nempe accidentia, illòsque defectus, unde impeditur, nè possit DEI gloriam latius extendere, nève ulteriores progressus in sanctioris vitæ curriculo habeat: cujusmodi sunt donorum supernaturalium inopia, exigua ad procurandam animarum salutem habilitas, perturbationes animi, ora-

tionis fastidium, pravarum cogitationum importunitas, terrenorum affectuum vis, & quidquid aliud interiori perfectioni obest: præsertim quando nonnullæ harum imperfectionum, etiam si minimè nunc foveantur, neque ad præsentem illius culpam pertineant; ex sua nihilominus præteriti temporis negligentia, & perversitate originem ducunt. Nam quomodo aut DEUM amare ex toto corde aliquis possit, quin ardentè desideret, quàm perfectissimè illi inservire; aut id desiderare, quin molestè ferat, quæ huic desiderio obstant, illudque magna ex parte frustrantur? Obiectio non exiguam primæ specie urgendi vim præfert. Sed, ut ejus inutilitas deprehendatur, sat erit, nonnullis veritatibus, quas hic subjicio, mentem advertere. Prima est, nemini contendendum esse, ut plùs DEO, & aliter serviat, quàm ipse ab eo sibi velit serviri: prout videre est in servitute etiam Dominorum mortalium, ubi non tam heri amans, quàm cerebrosus, & perversus haberetur, qui ad prædiorum suorum procuracionem ab eo missus, vellet potius ei semper adstare: vel omnia domus officia unus invaderet, quando herus magis amat, plures ministros domi habere, qui
 sig.

singula singuli obeant. Secunda veritas est nostræ perfectionis substantiam haudquam consistere in sensibili charitatis fervore, in tranquillo animi statu, in spiritualium consolationum affluentia, in perspicua rerum divinarum cognitione, aliisque id genus donis: imò neque in oratione diu protrahenda, in divexando extraordinariis afflictationibus corpore, in nefariis hominibus ad meliorem frugem revocandis, in orthodoxa fide apud Ethnicos propaganda, & similibus externis operibus: sed in eo revera esse positam, ut voluntatem DEI usquequaque impleamus, nihil non præstando, quod à nobis præstari ipse vult. Unde tertia mox consequitur veritas: nimirum propriæ perfectionis substantiam in cujusvis manu esse positam, neque intercipi ullo casu hominibus posse. Cùm enim non alibi consistat, quàm in eo, quod ab unoquoque DEUS vult, cùmque DEUS nihil à quoquam velit, nisi quod præstari ab eo potest; consequens planè est, ut sicut quisque in potestate sua habet, quidquid ab ipso DEUS vult; sic & quisque perfectionis propriæ substantiam in potestate sua habeat, neque per ullam adversorum casuum vim eâ possit invitus fraudari.

Nam,

Nam, si casu fortè aliquo ad hanc, vel illam rem agendam inhabilis fiat; apertè jam constat, eam rem haud ultra ex iis esse, quæ ab ipso agi DEUS vult, neque ad perfectionis substantiam ipsius propriam spectare. Utque id luculentiùs demonstrarem, quidnam, rogo, præpedimenti ad solidam perfectionem mihi affert impotentia procurandæ animarum salutis, vel quia necessariis ad id munus dotibus careo, vel quia moderatores mei aliis fungi ministeriis me jubent: cum certus sim, in tali rerum conditione DEUM nolle, ut animarum salutem operam navem? Quid etiam ad eundem finem mihi obest, si valetudinis imbecillitate prohibeor, rerum divinarum contemplationi diutiùs vacare, & majori jejuniorum, ac vigiliarum severitate corpus atterere: Cum DEUS oportunas ad pia id genus exercitia vires mihi negando, sat declaraverit, non esse voluntatis suæ, ut tali ratione ipsi serviam? Quam demum necessariæ perfectionis mihi auferendæ vim quæcunque aliæ haud voluntariæ imperfectiones meæ habent: putà quòd sublimi rerum cælestium intelligentia, & dulci, vividoque pietatis sensu caream: quòd crebris adversùs orthodoxam fidem, adversùs pudici-

citiam, & adversus proximorum charitatem
tentationibus stimuler: quodque inordina-
tos mille motus jam iræ, jam invidiæ, jam
gulæ, jam supervacuarum sollicitudinum,
jam inanis lætitiæ, aut mœroris suboriri in
animo sentiam: cum inter hæc omnia possim
tamen DE I auxilio, nihil plenè advertens,
& volens, seu quod ipse averfatur patrare;
seu quod gratum sibi esse profitetur omitte-
re? Quarta veritas est, DEUM, licèt per-
fectè se amari, & sibi ferviri ab omnibus ve-
lit, non ab omnibus tamen æquales pro-
gressus in perfectione sui famulatûs, atque
amoris requirere. Certum quippe est, nun-
quam fore, ut tot ego, tamque perfectos a-
moris divini actus edam, quot, quales DEI-
para edebat: utque ab omni etiam minime
labe tam purum, & integrum, quàm ipsa ani-
mum servem: imò nunquam fore, ut san-
ctissimum quoque ejus Sponsum Josephum;
aut Joannem Baptistam Præcursores Domi-
ni, aut *vas electionis*, Paulum Apostolum in
hisce prærogativis adæquem. Neque id ex
mea tantum ignavia, & quòd conari pro vi-
ribus negligam: sed quia noluit me DEUS
ad eorum excellentiam pertingere, nec pro-
inde illa mihi impertitur peculiaris gratiæ
ad-

adjumenta, quibus eos largissimè instruxit. Nemo est, (ità D. Gregorius) qui tantum virtutis apprehendat, quantum desiderat. Quia omnipotens DEUS ipsis modum spiritualibus profectibus ponit: ut ex hoc homo, quòd apprehendere conatur, & non valet, in illis se non elevant, quæ valet. (L. 12. Mor. c. 2.) Quare hoc etiam in genere omnino acquiescere illius voluntati debeo, & libenter pati, quòd non nisi mediocrem mihi destinaverit suos inter famulos locum, neque ad eam perfectionis sublimitatem extollendum me putet, ad quam alios complures suppeditatis ab eo sibi viribus pervenisse intueor. Quinta veritas est, DEUM, quamvis peccata velle nequeat, effectus tamen velle, qui ea sequuntur, & in hominis animo contra ejus voluntatem supersunt: quales sunt propensio ad peccandum, charitatis refrigeratio, ariditas in orando, aliique hujus generis. Quos propterea, non secùs, ac quoscunque alios vitæ eventus, utpote ipsos quoque à DEO volitòs, æquo animo à nobis ferri, damnatâ solummodo eorum causâ, par est.

5. His itaque veritatibus extra controversiam positis, difficultati suprâ objectæ juxta earum doctrinam respondeo: perfectum

Etum DEI amorem exigere, ut ei serviamus, eo prorsus pacto, quo sibi à nobis serviri vult: omne scilicet peccati genus vitando, & omnia, quæ possumus, perfectionis impedimenta à nobis amovendo: cùm hæc duo ab omnibus suis servis requirat. Quantum verò ad imperfectiones, quæ alicujus quidem spiritualis damni occasionem afferunt, sed neque peccata formaliter sunt, nec quantumcunque nunc conemur, excindi à nobis protinus queunt; quandoquidem ex hac ipsa eas removendi impotentia satis apparet, DEUM velle, ut nobis nunc inhæreant; dico, amorem divinum exigere, ut nos quoque idem velimus, neque solum nullo eas cum mœrore, verum etiam contenti, & plenè approbantes feramus: ceu qui neque sanctiores esse, & perfectiùs ei servire poscimus, quàm ipsius ferat voluntas. Cùm enim perfectè quempiam amare, sit eadem velle, & nolle cum ipso; necessariò indè sequitur, tam impossibile esse, ut quisquam ab alterius amore impellatur ad nolendum, quod ille vult, aut volendum, quod ille non vult; quàm impossibile est, ut ab illius amore impellatur ad eum non amandum: ac proinde nullo modo fieri posse, ut quisquam à puro
DEI

DEI amore impellatur, sive ad eas perfectiones volendas, quas DEUS habere ipsum noluit; sive ad eos nolendos defectus, quos DEUS inesse ipsi vult. Si ergo dilectus meus Dominus noluit, qualitatibus, & præfidiis me ornare ad res magnas in illius gloriam efficiendas idoneis; debeo ex ejus amore meam hujusmodi inopiam libenter amplecti, contentusque esse, quòd valeam in iis ei rebus servire, ad quas plus mihi habitudinis contulit, & in quibus serviri à me sibi voluit. Si visum ei non est, ad extraordinariam contemplationem me extollere, nec eam mihi, qua complures alii fruuntur, à pravis affectibus, & turbulentis eorum motibus quietem largiri; necesse est, si eum perfectè amo, ut hanc quoque illius voluntatem pleno consensu approbem, nihil ægritudinis capiens de prædictorum ejus munerum, esto cæteroque ad majorem meam perfectionem conducentium defectu: sed studens, quem maximum saltè possum, ex ordinaria meditatione fructum referre, & in spiritali via progredi, si minùs suaviter, at majori fors cum merito, ob assiduas cum iracundia, cum concupiscentia, cùmque aliis animi perturbationibus pugnas. Si in iis me circumstantiis

con-

constituit, quas animæ infestas experiôr, tum ratione culparum venialium, quas propterea interdum committo; tum quòd charitatis meæ ardor ibi intepescit, dolendum quidem mihi est de spiritualibus id genus dispendiis, utpote ex mea negligentia profectis: sed ità, ut eorum occasionem simul amem, tanquam nec suapte natura malam, nec mihi voluntariam, & à DEO rectissimè volitam. Si demum plectit mea crimina subductione eorum luminum, piorúmque sensuum, ac solatiorum cælestium, quæ mihi antea infundebat, & sinè quibus languidum, debilémque ad ei, prout par est, serviendum me sentio; debeo has quoque illius pœnas libenti animo excipere: curans solummodo, nè quòd ex iis, quantum ad perfectionis substantiam, detrimentum capiam, sed per eas potiùs ad majorem virtutis firmitudinem, patientiámque, & humilitatem proficiam.

6. Hæc tamen animi quies, & lætitia circa modò dictos divinæ voluntatis effectus non nisi præteritum, ac præsens eorum tempus respicit, quo nimirum nè sint, nève fuerint, impediri nunc à me nequeunt: neque obstat proinde, quin hoc ipso temporis puncto, quo de præterita, præsentique, illorum

existentia gaudeo, optare, & à DEO poscere, conarique modis omnibus possim, nè iidem in futurum tempus pergant existere. Neque enim certi quidquam argumenti habeo, unde colligam, num cælestis Dominus satius existimet, prædictis me malis in posterum quoque affici; an contrà velit, statueritque ab iis me subducere, si ego ad hujusmodi effectum orationis instantiam, & reliquos meæ solertiæ conatus adhibeam. Quamvis igitur contentus omnino esse debeam de spiritualibus iis miseris, quas in præsentī experior, eò quòd certò mihi constet, DEUM velle, ut illis nunc afficiar; cùm tamen haud pariter mihi constet, eandem pro tempore etiam futuro voluntatem ipsius esse, recta exigit ratio, & ipsemet vult, ut omni studio contendam, tum ea impedimenta amoliri, quæ me hæcenus retardârunt in perfectionis curriculo, tum ea comparare subsidia, quæ ad illud alacrius porrò emetiendum me adjuvent. Quapropter desiderandum, & exposcendum mihi à DEO est, ut instrumentis, & adminiculis ad perfectam illius servitutem quàm maxime opportunis me muniat, ut pravos habitus, & affectiones terrenas ex meo corde eradicet: ut spirituales mihi lætitiâ, quietem
ani-

animi, dulcem præsentis suæ sensum, & facilitatem recta agendi concedat: ut vividum semper tum in mente veritatum supernaturalium lumen, tum in voluntate charitatis suæ ardorem conservet: ut meas culpas externis potius pœnis, quàm spiritualium suorum munerum privatione castiget. Ità profectò omnia hujusmodi finè ullo perfectæ cum divina voluntate consensionis detrimento petere possum, ac debeo: dummodo tamen illorum desiderium non sit justo vehementiùs, anxiùmque, & inquietum, (quale esse consuevit, cum ex innato magis propriæ excellentiæ appetitu, quàm ex pura DEO placendi voluntate oritur) sed in medio ejus ardore suam animus tranquillitatem retineat, nec recuset, vel deinceps in eadem humilitate, & imperfectione, ac pauperie sua permanere, si Domino ob justos suos fines haud placeat ei dicere: *Amicè ascende superiùs; diserteque coram ipso profiteatur, etsi in potestate sua foret ex abjectione præsentis statûs ad excelssimam vel Apostolorum, imò etiam sanctissimæ ipsius Matris perfectionem subitò eniti, nequaquam se tamen usurum hujusmodi arbitrio contra ipsius voluntatem: utpote quam suis quibusque etiam superna-*

turalibus emolumentis præponit, præque unica volendi, & agendi regula habet.

7. Postremò sciscitari aliquis posset, num universale hoc studium volendi, quæcunque DEUS vult, circa ipsum quoque versari debeat sempiternum nostræ animæ interitum, si hunc fors mereremur: adeò ut, quemadmodum DEUS perpetuis tunc damnare suppliciiis nos vellet; sic nos itidem ad nostram ejusmodi damnationem in prædicto casu approbandam, & volendam esse oporteat paratos; ut nec ibi ab illius dissideamus voluntate, quæ debet nobis nostro quovis, licet summo bono esse charior. Priusquam sciscitanti respondeam, duo statuenda esse censeo, quæ animadversa, & probè intellecta, planiorem responsioni secururæ viam sternent.

7. Primum est, DEUM universali, & absoluta, quanquam inefficaci, voluntate salutem omnium hominum velle: nempe ut universi supremum diem gratiæ suæ compotes obeant, æternamque vitam, cujus gratiâ procreati sunt, consequantur: ceu ipsæmet suis apud Ezechielem testatur verbis; (c. 18.) *Numquid voluntatis meæ est mors impii, & non ut convertatur à viis suis, & vivat?* At verò nullius interitum velle, nisi sub conditione, quòd

quòd lethalem is culpam commiserit, éque
 vita inexpiatus discedat. Ex quibus duabus
 voluntatibus prior vocatur à D. Thoma (*De
 Vol. DEI art. 2.*) *Antecedens, & prima intentio;*
 posterior autem, *Consequens, & de secunda in-*
tentione. Unde palàm sequitur, quòd aliquis
 in reproborum catalogo sit, non posse DEO
 attribui, sed uni esse imputandum ejus mali-
 tiæ, qua factum est, ut DEUS ab æternitate
 præviderit, ipsum absque scelerum pœniten-
 tia obiturum, próque tali suo merito in eo-
 rum gregem rejecerit, qui æternis inferorum
 pœnis adjudicandi erunt. *Non enim* (prout
 subdit citatus modò Angelicus Doctor) *vult*
DEUS ex parte sua aliquem damnare, sed secun-
dum quod ex nobis est. (Ibid. art. 8. ad 2.)
 Quemadmodum igitur quivis judex, licèt de-
 bitas fontibus pœnas statuatur, potest nihilomi-
 nus unicuique eorum dicere, si supplicio affi-
 ceris, non mihi, aut meæ sententiæ, sed tibi
 tantummodo, & improbitati tuæ id debes ad-
 scribere. Tu primariam posuisti damnatio-
 nis tuæ causam, ego non nisi illius instrumen-
 tum fui, neque ex motu proprio, sed ex me-
 ro tuorum maleficiorum impulsu ad eam de-
 cernendam processi; ità DEUS quoque affa-
 ri similiter impiorum quemlibet potest, quan-

do illum vel æterno decreto suo reprobat ; vel suprema dein sententia condemnat. Et re ipsa illis omnibus sub persona, & nomine Israëlis id professus est, dicens apud Oseam : *Perditio tua ex te Israël ; tantummodo in me auxilium tuum. (c. 13.)*

9. Alterum ex statuendis est, DEUM non posse de potentia ordinaria, licet possit de potentia absoluta, reprobationem suam ulli hominum palam facere, alioquin eum cogeret, de rebus suis desperare : imò, etsi cuiquam disertissimè eam revelaret, non debere hujusmodi revelationem, nisi conditionaliter, & in comminationis sensu ab illo accipi. Ità expressè D. Thomas, addens, etiamsi ab eo acciperetur veluti *prophetia præscientiæ*, non tamen æquum fore, ut idem *vellet damnationem suam absolutè, sed secundum ordinem justitiæ, quo DEUS vult persistentes in peccato damnare. Non enim vult DEUS ex parte sua aliquem damnare, sed secundum id, quod ex nobis est. Unde velle suam damnationem absolutè, non esset conformare voluntatem suam voluntati divinæ, sed voluntati peccati. (Ibid.)*

10. His ergo præmissis respondeo, ceu à nemine sciri, nec humano indagatu, nec per divinam revelationem potest, num se
DE-

DEUS reprobârit, ac velit æternum damnare; sic à nemine itèm posse suam circa id voluntatem absolutè conformari ad divinam: sed ità solummodo, ut conditionaliter suo in animo dicat: si DEUS novit, me in lethalis culpæ statu obiturum, vultque ideo æternæ mortis damnare; contentus omnino de tali voluntate illius sum, eamque ut infinitè sanctam, & amabilem plenissimè approbo. Quin ego ipse, si meæ iudex causæ essem, audirémque ab ipso, meam damnationem cum sua voluntate, & iustitia congruere; nîl cunctarer, tristem adeò in meum caput sententiam protinus ferre. Quem actum quisnam, rogo, arguendum putabit, tanquam Ethicæ Christianæ principiis adversum, nec potiùs ut supremum charitatis integerrimæ specimen admirabitur: quippe ubi anima incomparabili exuperatione plùs DEUM, quàm se amat, cuilibet etiam æterno, ac summo suo bono illius voluntatem anteferens? D. Thomas certè tum in citato superiùs: tum in eo, qui paulò infrà citabitur, loco illum approbat. Nec minùs ei favet celeberrimus Doctor Franciscus Suarius, affirmans: *Sè quis velit id, quod DEUS vult, sub ea ratione, vel facta hypothesi, quod DEUS id vult, vel pro-*

Q 99 4

pter.

pter hunc finem, ut voluntas divina impleatur; nunquam esse prohibitum talem affectum, etiam si objectum materiale ejus sit extrema damnatio: quod DEUS non vult, nisi sub ratione justitiæ punitivæ ex præscientia peccati finalis. (In 1. p. Tract. 3. Diss. 11. Sect. 3.) Et ego quidem nullus dubito, quin Cælites universi ejusmodi actum, saltè *implicite*, *virtualiterque* concipiant: utpote qui non aliam habentes suorum affectuum regulam, præter DEI, & sanctissimæ illius voluntatis amorem; nequeunt profectò erga suam beatitatem ità affici, quin compositi semper animo sint, ad eam, si ipsi placeret, cum æternis inferorum suppliciis mutandam. Sed neque eorum desunt exempla, qui in terris, circa hoc longè gravissimum, perennis vel miseræ, vel felicitatis negotium, divinæ voluntati sese omnino subjecerint. Duo mihi proferre sat fuerit, sed dignitatis tam eximæ, ut multorum locò esse possint. Primum B. Angula Fulginiensis suppeditat, testificans, (In Vit. Vis. 5.) adeò sibi pulchrum, & suave quodvis DEI decretum videri; ut si etiam certissimè sciret, ad æternos se tartari cruciatus ab eo esse damnandam, nihil tamen indè posset mæroris concipere, nec præsentem suam ei

ser-

ferviendi voluntatem ulla ex parte minuere. Alterum à Monacho est editum, cujus nomen intercidit, virtus verò in æterna admiratione apud posteros erit. Nempe hostis tartareus, ut quem aliis tentationibus frustra oppugnârat, in desperationis saltèm barathrũ mergeret, spiritali ejus magistro sub Angeli specie intuendum se exhibens, actum omnino esse de illius sui alumni salute nuntiavit. Miserrimum juvenem immutabili divinæ providentiæ decreto ad reproborum gregem pertinere, frustra que vitæ asceticæ operam dare. Quidquid recti ageret, sempiterno periturum exitio. Sed irritæ ceciderunt præstigiatoris nequissimi fraudes. Nihilque suo astu profecit, nisi ut augeret illius meritum, cui extremam moliebatur perniciem. Cum enim pius juvenis magistri relatu certior factus esset de tam tristi sua sorte nihil propterea seu animo dejectus, seu vultu perturbatus, æternùm DEUS laudetur, respondit, in omnibus, quæ de me statuit, & facturum postmodum est. Ego sanè, qualiscunque in præsentem sim, & qualemcunque in futura æternitate exitum me sortiri contigerit, non omittam, quoad possum, debita illi laudum, obsequii, & amoris vectigalia

lia persolvere. Ità tunc ille: meritus enim verò tam heroica æquitate animi, ut DEUS, nova verè cælesti revelatione priorem commentitiam refutans, deluso ab ea seni aperiret, quàm eximiè sibi charus, nedum in Electorum numero discipulus foret. (*Nierem. Vit. Div. c. 12. Solt. Direct. L. 3. c. 3. Sect. 3. & alii.*) Audiatur postremò D. Anselmus in libro (*De Commens. Crucis.*) ità cum DEO loquens: Qui, ô Domine, propria sese abdicavit, ut ex tua duntaxat voluntate vivat, etiamsi illum damnare tu ad inferos velles; *semper tamen de te in bonitate sentiret, paratus sustinere, quod velles, nec diceret, cur ità facis?* suàmque hanc propositionem sic claudit: *Cui prædicta sententia non placet; da ei Domine, se abnegare, ut intelligat.*

II. Duo tamen sunt, de quibus admonendos Lectores hìc puto. Primum, debere eos, quibus in hac quoque materia voluntatem suam conformare ad divinam cordi est, damnationem suam conditionaliter velle, non alio, quàm quo DEUS modo illam vellet: nempe non quantum ad blasphemias, & alia, quæ indè oriuntur, peccata, neque prout illa extremum malum suum est, sed solum, ceu pœnam suis criminibus

bus

bus debitam, divinæque justitiæ ordini consentaneam: cum neque DEUS nisi hac ratione illam fontibus velit. *DEUS non vult damnationem hominis, (ait D. Thomas) sub ratione damnationis, sed sub ratione justitiæ. Quapropter ad conformitatem nostræ voluntatis cum divina sufficit circa talia, quod homo velit DEI justitiam servari. (1. 2. qu. 19. a. 10. ad 2.)* Alterum monitum est, mediocris doctrinæ, ac virtutis homines consultius facturos, si ab hoc damnationis suæ casu sibi proponendo abstineant: contenti, suum voluntatis divinæ studium in tot aliis materiis, casibusque exercere, ubi & præstantis meriti ferax, nec ullis conscientia tricus perplexa illius exercitatio est. Quod si ille aliquando nihil tale cogitantibus sua sponte se objiceret, nec satis constituere apud animum possent, quid, & quomodo velle ibi liceat; caveant, se ulterius in eum quasi labyrinthum induere: sed prout in tentationibus adversus fidem faciendum suadetur, quantocyus inde mentem abducant, generali duntaxat hoc actu DEUM alloquentes: O quàm recta, quàm sancta, quàmque amabilis Domine in quibuslibet suis decretis voluntas tua est? Ego illam sinè ulla exceptione approbo, comple-

988 De fructu ex notitia DEI decerpendo.

plectórque , ac totum me ipsi , & meas omnes tum præsentis , tum æternæ vitæ rationes subjicio. *Paratum cor meum , DEUS , paratum cor meum. Fiat voluntas tua sicut in celo , & in terra. In manus tuas , Domine commendo spiritum meum.*

FINIS.

